

mento ullus motus acus perspicuus sit; qui si plane deerit, per hanc novam mensuram prima ut exactissima confirmabitur, sin minus, experimentum renovandum erit, usque dum consensus adsit.

Forsan hic aliquis objiciat, etiam tum acum necessario contra obstaculum applicatam restare, cum pro aequilibrio inter vim declinantem et torsionem excessus torsionis adsit, ergo mensuram, ex statu aequilibrii ducendam, dubiam esse ex observata acus quiete. Sed si primo experimento non saltu inconsiderato sed gradibus cautissime procedendo torsionis indicem ante quamlibet juncturam promoveris, nihil timendus erit ejusmodi excessus, cum praesertim quaelibet junctura, quae non brevissima sit, eo solum tendat, ut intra minorem numerum graduum consistatur, quam qui intensitati initiali respondeat. Inde in experimento secundo torsio nunquam justa mensura major, sed solummodo minor expectanda est.

Haec methodus laboris tam plena, temporis tam vorax, ut optandum sit, aliam suppetere, quae idem praestet. Et concedendum quidem, nullam hucusque innotuisse, quae revera mensuram tam stricte ad primum juncturae momentum restringat. Sed non opus foret hac restrictione ad primam intensitatem assequendam in circulis, si qui tales exstarent, in quibus prima intensitas per aliquod tempus juncturae superstes sit. Ohmio ejusmodi circuli non obvenisse videntur, ideo methodum oscillationum, quae saltem plures minutas secundas ad mensuram poscit, plane rejicit ad metiendam intensitatem initialem. Mihi tamen, examinanti conditiones, quae ad decrementum vel accelerandum vel retardandum valent, plurimi sic comparati circuli observati sunt, si recte constantem fuisse primam intensitatem per plures secundas, imo saepe minutas, eo conclusi, quod ad primas oscillationes plane non brevius tempus requirebatur, quam ad proxime subsequentes.

Confitendum quidem, si decrementi maxima pars intra primam post juncturam secundam cadat, vix ex hoc consensu oscillationum conclusionem illam valere; id quod Ohmius indicare videtur in Schweigg.